

sive mutetur sive non, quemadmodum dicimus potentiam, sive in ea fuerit, sive esse potuerit, sive plane esse non potuerit. Sic ipse Deus, qui est actus, eo ipso quod est actus non est ita, quemadmodum dicimus potentiam nunquam enim in ea fuit, aut esse potuit, ergo, nec potest esse ita, quemadmodum diceremus eum aliquid esse potentiam.

§. 6.

Dicit ergo Actus formaliter ipsam essentiam rei cum connotata negatione essentiae in potentiam, & esse actu dicit in recto ipsum ens, & in obliquo connotat negationem essendi in potentiam. Ubi tamen observandum venit, negationem illam essentiae in potentiam, non esse intelligendam (1.) privativè, ac si idem sit negatio essentiae in potentiam, quod carentia essentiae in potentiam, & absentia aptitudinis essendi in potentiam, qualem negationem essendi in potentiam creaturae, quae actu, sunt, dicunt. Essentiae enim rerum omnes ita negationem essentiae in potentiam dicunt, ut habeant tamen aptitudinem, quae sit ratio, qua aptae sint ut fuerint in potentiam. Neque (2.) negativè in quantum <sup>70</sup> privativè condistinguitur. Hoc modo enim solus Deus esset actus, cum solus ille talem negationem essendi in potentiam importet, ut plane excludat aptitudinem essendi in illa. Sed (3.) praecisivè, quatenus privativam & negativam privativae condistinguitur negationem essentiae in potentiam nec dicit, nec negat, sed ab utraque praescindit, neutram includit, de utraque vero est affirmabilis.

§. 7.

Res manifestior fiet exemplificando eam de Unitate. Unitas est abstractum de Uno, & formaliter dicit negationem divisionis, talem tamen. quae nec privativa, nec negativa